Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Registratura Maximilliani - Cod. Aug. pap. 13

Maximilian <II., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

[Reichenau], 1563-1566

Iulius

urn:nbn:de:bsz:31-84715

Visual Library

j. 5. 64.

IVLIVS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Maximilianus &c.

Comiti Prospero ab Archo

357 Et continuum nobis obsequendi studium et desiderium, ac in negotijs, quæ istbic agenda tibi demandauimus singularem diligentiam et industriam tuam ex literis tuis superiori mense ad Nos scriptis perabundè deprehendimus. Qua ex re nræ in te benignitati maior indies accedit cumulus. Precum quidem primariarum quas iamdudum à S. D. Pont. Max. Nobis concessas esse scribis, Bullam siue indultum desideranter adhuc expectamus. De hoc igitur imprimis, et quæ ex cæteris tibi commissis, infecta extant, negotijs, quoad fieri potest deducendis atq; expediendis, tametsi sponte te sollicitum satis esse probè nouimus, his et herbemgne admonitum te cupimus. Præterea Nos ualde admirati sumus promotionem Rdi Dni Epi Pharen. Cæs. Mtis suæ ac Nobis usq; adeo exoptatam non modo differri, sed obliuioni ferè tradi, quinimo responsum nullum ad nras lras datum esse. Quare ut ea res cum decore et sine mora ad exitum perducatur toto pectore incumbes, Voribusq; detrahentiu ut perturberis, aut tempestas adduci te minime patiaris, Satis enim dicti Pharen. præclara uirtus, et morum integritas Sti Suæ Cæs. Mtis ac Nobis

bis perspecta est. Conuenies igr denuo S^tem S., agesq; cum ea reuerenter et efficaciter, ut Nos nostrisq; toties frustra repetitis atq; inculcatis mandatis agendum tibi esse existimauimus, nec laborj parces, quo hac in re, quæ magis ad Nos, quam ad ipsum Pharen. pertinet, extet iam tandem fructus aliquis diligentiæ et officij tui. Nos quicquid id erit officij tuo et commodo benignè à Nobis agnosci aliquando senties, libenter curabimus. Datum Viennæ 1^a die Julij Anno &c. M.D.LXIIII

Maximilianus &c

Æmylio Maluetio

358°

Et syncera ista animi erga Nos tui deuotio, et obsequendi desiderium summum, quæ abs te p̄clarae familiæ tuæ uestigia secuto, iampridem Nobis egregiè declarata, hoc etiam tempore nouis ijsq; pergratis adhuc abundantius comprobare studes officijs, sanè ità Nobis accepta et optata obtigêre, ut pristinæ hinc nostræ in te benignitati haud parum accreuerit: Quæ enim cum literis tuis binis, superiori Martio ad Nos scriptis, tùm per Secretarium nostrum Schuanbach pro singulari tua Reipub. nostræ commodi cupiditate oretenus significata nobis uolueras,

ea

ea Nos omnia abunde et Clementer admodum intelleximus, præ:
sertim uerò, quæ de Mineris terræ et uallibus, quæ ob abundan:
tiam aquæ fodi nequeunt, exiccandis: Molis item farinarijs, q
uinus equi opera circumagi possunt, conficiendis: Item de ra:
tione, qua auri qcunq; plus tertia parte ponderosior red:
datur, ipsa auri substantia nihil deteriori reddita, ille No:
bis, non sine locupletissimo obsequentissimi istius erga Nos
animi tui testimonio accuratè retulit. Ex his autem cu
maximè Nobis probetur, quod de auri est pondere, adau:
gendo, equidem id abs te Clementer petimus, ut quis mo:
dus ea in arte prosequenda atq; in effectum deducenda cum
homine isto sene et ualetudinario, quem accersiri huc incom:
modè posse scribis, tibi uideatur meundus ad Nos consi:
lio de re tuo suppeditato, sigillatim et quamprimum per:
scribas. Feceris in hoc et ab illo tuo in Nos veteri studio ni:
hil alienum, Nobis uerò ita gratum, ut nra id deinceps
Clementi memoria recoli, tuo commodo aliquando præ:
clare sis deßbensurus. Datum Viennæ 4 Julij Anno
M. D. LXIIII.°

Summo Pontifici

359 Beatissime Pater; Præpositus S. Dorotheæ in Vienna vir religiosus, et quod aliunde etiam V. Sanct.ti constare potest uitæ est inculpatæ, suòq; cœnobio summa cum laude præest: Is V. S.tis benigna concessione inter celebrandum Mitra et infula sibi uti licere, pluribus ex causis non leuibus expetit, quas V. S.tas sigillatim ex R.do Epo Pharensi Nuncio suo, cui de his probè notum est, accipiet: et nostra quidem opinione non inuita comprobabit. Quapropter eandem V. S.tem huic petitioni Clementer etiam annuere nos etiam maiorem in modum petimus, rem in eo gratissimam à V. S.te nos obtinuisse, filialis nri obsequij officijs præclarè attestaturi. Quam V. S.tem diu felicem et incolumem ualere exoptamus. Datu Viennæ 4 Julij Anno &c. M.D.LXIIII.

360 Decretum per Reg.am M.tem V.ia Julij 1564.
mandat significari Camerę Vngaricę M.tis s. donatiuu à Statuo Hungarico designatu Ciuitati Libetæ donasse.

Sac. Rom. Hungariæ ac Bohemiæ Regia Maiestas Dominus noster Clementiss. mandat Cameræ Vngaricę

significari

significari, Mtem Suam libram et Regiæ suæ Ciuitati Montanæ Hungariæ Libetæ, quod tam egens, tamq; hosti hæreditario uicina sit, portionem, quæ ab illa ex donatiuo in proximo statuum Regni Hungariæ conuentu, designato Suæ Mti pro rata debebatur, Clementer condonasse, Curabit igitur, atq; ordinabit eadem Camera Hungarica, ne à ipsa Ciuitate Libeta portio eiusmodi condonata porro exigatur.

Ad Regem Poloniæ literæ Credentiales pro N. à Rechenberg &c

Maximilianus &c. salutem &c. Exponet quædam quibus ad V. Sem feret, Egregius fidelis noster dilectus Sacræ Cæsæ Mtis consiliarius N. à Rechenberg quæ à Nobis in mandatis habet, pro sua in Nos fide et obsequio ipsi significanda. Eum igitur ut V. Sta et libenter audiat, et in singulis quæ referet, eandem, quam nobis ipsis præsentibus, fidem habeat, amanter petimus. De cætero nostra uera fraterna beneuolentia Vræ Sti perpetuo conseruata foelicissime et diutissime ipsam ualere à Deo opt.

Max.

Max.^o peroptamus. Datæ Viennæ sexta Julij Anno &c.
M.D.LXIIII.

Literæ passus pro Lucio à Landaw.

362 MAXIMILIANVS &c. Ser. Rex Regibus &c. Cum egregius fidelis nobis dilectus Lucius à Landaw aulicus nr ingenuo aliarum et Nationum uisendarum incensus studio. Gallias, Italiam, Angliam, et alias nonnullas terras pro occasione delata inuisendas susceperit. Nos aut ei oia in itinere pro solita in illum nra benignitate foelicia euenire cupiamus. Eundem & Comites eius terra mariq; proficiscentes, Ser.^bus &c. Datæ Viennæ 6. Julij A.^o &c. 64.

Cardinali Lotharingiæ

363 Maximilianus &c. salutem &c. Summa nobis semper est, de R.^ma Vra P.^te erga Nos animi synceri propensione opinio, et studio constanti fides. Quamobrem, etsi nobis eiusmodi amantissimi eius animi testificationes pclaræ, quas cum antea persæpe tum ex literis eius

nouiss.

nouissimis pridie Cal̄n Junij ad Nos scriptis abundè deprehendimus, nouæ et alienæ minimè sunt, accidunt tamen uel eo nomine planè iucundissimæ, quòd ut amorem eius in nos indies accrescentem contestantur, ita nos in nr̄a de hoc suscepta fide magis ac magis confirmant. Non igitur admittemus unq̄ quod antehac quoq̄ semper nobis curæ fuit, ne in Nobis mutuæ beneuolentiæ atq̄ amicitiæ candidæ officiū Rma Vr̄a Ptas ullum etiam posthac desideret, qum sese à nobis re uera amari charamq̄ haberi euidenter aliqn̄ intelligat. De coniugio inter Serm̄ et Christianiss. Regem fratrem et consanguineum nostrum charissimum, et alterutram filiarum nostrarum, ineundo, probè adhuc meminimus, quid à Sacra Cæsa Mte Domino et parente nr̄o Colendiss. superiori Decembri Rmæ Vr̄æ Pati responsum sit, Quæ res ut nunc se habeat, cum eadem sua Cæsa Mtas cum hisce abunde eidem Rme V. Pti rescribat, parcius ipsi modò respondemus, hoc tamen amanter pollicentes cumprimum à Serm̄o et Catholico Hispaniarum Rege fr̄e et patrueli nr̄o chariss. certum fuerit allatum nobis responsū de eo nos illico Rmā Vr̄am Paterm̄ esse certiorem

facturos

facturos. De cætero quæ à consanguineo et amico uero expectari possunt, Rma Vra Patrtus de Nobis indubitato sibi semper pollicebitur. Quam multos in annos felicem et incolumem conseruet Deus opt. Max. Datum Viennæ 8 Julij Ao. M. D. LXIIII.

364o Comissarijs ad Turcarum Imperatorem destinatis

Maximilianus &c.

Egregij fideles nobis dilecti. Commouemur sanè ad pietatem non leuiter misero illo Joannis Baptistæ cognomento Groffi, ad quem nunc redactus est, uitæ statu, eumq; proinde nra benignitate iuuandum, precibus psertim eius coniunctorum tam assiduis apud nos intercedentibus merito duximus. Is aut, ut ad nos delatum est, à Magco Hanza Bego in seruitute prægraui captiuus in quadã arce detinetur. Cum hoc igitur Hanka Bego et quibus cum pterea necesse erit, uel et cum ipo Magco Haly Bassa, uos omni studio, cura et diligentia qua poteritis summa nro nomine agere uolumus,

ut ille

ut ille nobis in gram nram, nullo interueniente precio li:
ber dimittatur, Est enim homo pertenuis fortunæ, Patre
paupere satellite nro, anno pterito uita functo natus, ut
sumptui cuicunq; grauiori ferendo minime suffici:
at. In hoc pro Vro erga Nos obsequio bene grata et oi:
moda nostram uoluntatem exequemini. Datum Viennæ
13 Julij Anno &c M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

365 Georgio Albany

Diligentiam tuam singularem studium eximium et
in rebus agendis dexteritatem lræ tuæ Buda ad Nos scri:
ptæ nobis præclare sunt attestatæ: Comprobatur et
nobis perbenigne ratio ista, qua in satagendis, quæ tibi
demandaueramus, negotijs percommoda sane et pru:
denti, hucusq; es usus. Quod autem de Explora:
toribus, quorum operam tibi profuturam esse arbitra:
ris, meministi, uolumus sane, quicquid de his post:

hac

hac ad nos scribes, occultis illis literis, quarum notam abeunti hinc tibi dari iussimus, exprimi et significari. Quæcunq; ꝑterea etiam minutissima ex fidedignis re=scisces, ea singula ad nos non minus accuratè per=scribes ijsdem etiam secretis, siquidem res eiusmodi erunt literis: Ages in hoc ex benigna nostra uoluntate, quod unà cum cæteris obsequij erga nos tui officijs Cle=menter aliqñ recognoscemus. Datꝫ Viennæ XVI Julij Anno M·D·LXIIII.°

Post Scripta.

Cupimus uero niprimis ex te scire, quanto salario duo illi exploratores nobis operam nauare uellent, et quibꝰ conditionibus. Qua deniq; ratione, quæ nobis interea dũ tu isthinc abfueris significabunt, ad nos deferenda sint curaturi.

Maximilianus etc.

3660 Georgio Albany

Ex hisce inserta copia literarum intelliges, quid ad te collegasq; tuos Commissarios Constantinopolim destinatos scripserimus de satagenda Io. Baptistæ Groffi libertate, ea ut tibi singulariter etiam curæ essent, præcipue uero ut apud Mag^cum Haly Bassa omni officio de illius libertate impetranda enitereris hisce te clementer admonitum uoluimus. Datum Viennæ 17 Julij Anno M.D.LXIIII°.

Maximilianus &c.

367° Duci Florentiæ filio

Vestræ istud Dil^nis ad res arduas subeundas non minus alacre ingenium, quàm matura in florenti adhuc ætate prudentia præclaro nobis sunt argumento, ut illam eiusmodi munerj et Administrationi, quàm ab Illa. Parente suo amico nro charissimo nuper traditam bonis auibus suscepit, tàm ad eiusdem Patris uota, quàm Reipub. suæ totius solatium foeliciter esse præfuturam nihil planè iam ambigamus. In quo tamen nos quidem Vræ Dil^ni primum à Deo opt.

Max°

Max.^o successus perpetuò fortunatissimos ex animo peroptantes ne optimæ illæ, quam sese nostra de ope concepisse literis suis humanissimis egregiè nobis declarat, opinioni et spei, ulla in re defuisse arguamur, quicquid ꝑterea amor et beneuolentia in ipsam nr̄a, et consilium prodesse illi deinceps potest, paratissimum semper deferimus. Valeat eadem Vr̄a Dilg.^tis diu et foeliciter. Datæ Viennæ xvii die Julij Anno ꝑ 1564.

Maximilianus &c.

Archiepiscopo Strigonien.

368

Etsi non ita exactè meminimus, quod Sac.^a Cæs.^a M.^tis ꝑ Dn̄i et patris nr̄i colendissimi nomine per V. Deuot: ad Ciuitatem Posonien. de concordia inter Franciscum de Strigonio Philosophiæ et Medicinæ D., et Can.^cum Posonien ex una, et Andream Fassang ex altera parte, ratione incendij huius negligentia in illius et dispendium conuersi, septima die Junij, Anni ꝑsentis, scribi decretum sit; hoc tamen adhuc probè scimus, eius Nos perpetuo fuisse sen-

tentiæ

tentiæ, ut, siquidem reliqui ciues Posonien. omnes, qui qui-
dem ex dicto incendio damni aliquid acceperunt, tenuioris
plerunq; fortunæ, transactioni tamen inter se dictumq; An-
dream Fassang initæ iampridem acquieuissent, pdictus et
Franciscus, utpote minori fortunarum suarum incommodo
ista ferens, ad æquas cum illis conditiones condescende-
ret, neq; miserum illum et pauperculum hominem Andream
negligentiæ suæ plus satis graues et ex incendio poenas
luentem maiori etiam sumptu et molestia aggrauare
niteretur, Quare clementer quidem V. Deuot. admonitam
uolumus, ut rationibus ad id opportunis sdictum Fran-
ciscum Canonicum etiamnum huic nostræ sententiæ Cle-
menti parere efficias, de quo etiam curando pfatis Ma-
gistro Ciuium et Juratis Ciuib. Ciuitatis nostræ Poso-
nien. scripto nunc mandamus. Fecerit in hoc V. D.
ex benigno nro arbitrio et sententia, et de quo V. Dtionis
benignius etiam porro complectamur. Datæ Viennæ
die XVIII Julij Anno &c. M.D.LXIIII.

369 Maximilianus &c

Duci Florentiæ

Commendatur nobis magnopere cum eruditio pclara, tum de Repub. etiam bene merendi studium eximium fidelis nobis dilecti Francisci Mugantij Legum Doctoris, Qui eiusmodi suo instituto proseguendo apprime commodum fore ratus, si à Vrâ Dis.ne in Rotam Florentiæ deligi posset, cum hoc nomine nostra se commendatione apud Vrâm Dis.ne iuuari multum posse confidat, nos sane pro solita nostra in homines frugi et Reipub. psertim commodi studiosis benignitate Vræ in hoc Dis.ni benignum assensum accedere, eumq; siquidem idoneus uidebitur, eidem Dis.ni in dictam Rotam asciri peramanter cupimus, Gratum hoc ab illa in primis habituri, et inter cætera V. Dis.ni erga nos optimæ uoluntatis indicia posituri, mutua nra beneuolentia libenter aliqn. recompensandum. Bene ualeat Vrâ Dis.tio Datæ Viennæ xviii July Anno p 1564.

Maximilianus &c.

3700

Florentiæ

Florentiæ Principi

Illus. Princeps amice nobis chariss. Hannibalem Lotaringum nobilem Senen. cum ob eius mores, antiquamq; suam in nos obseruantiam diligimus, tum quòd Rmo. in Chro Patri Principi et amico nostro chariss.o Cardinali Augustano, qui nobis, ut qui maximè charus est atq; acceptus multos iam annos sit à Secretis, Huic in Italiam proficiscenti quòd nostræ in illum beneuolentiæ declarationem, eidem profuturam credidimus, has ad V. Dilem. dare literas uoluimus, quibus eundem Hannibalem ei commendamus quàm possumus amantissime, Dignus est enim et V. Dilnis. beneuolentia, et nostra Comendatione; eritq; nobis pergratum, si ea à V. Dilne. consecutus fuerit (honesta autem petiturũ esse ipsum minimè dubitamus.) quæ ei, fratribus, et toti eius familiæ commodo atq; ornamento esse possint: quod sanè nrã beneuolentiæ officijs reconpensandum memori semper tenebimus animo. Valeat eadem Vrã Dilnio. Datæ Viennæ 18 Julij Anno &c. M.D.LXIIII.o

371°

Maximilianus &c.

Cosmo Duci Florentiæ.

Humiliter exponi nobis curauit Donatus Baldesius olim à Vra Dilnis Prouisor Vrbi Pisarum pfectus, quemadmodum magno suo infortunio gratia V. Dilnis non ita pridem exciderit, eo quòd seruitorem quendam suum à se profugum factum, postea in potestatem suam redactum grauiter uulnerasset, atq; propterea in Villam quandam suam anum unum relegatus, citiùs destinato tempore eo ex loco secessissent. Supplex igitur orans, ut in recuperanda, quam per se hactenus nullo modo potuisset V. Dilnis gratia à se tantopere desiderata, nram etiam opem et intercessionem clementer interponeremus, Qua in re siquidem grauior offensa nulla accessit etsi pro solita sua æquanimitate V. Dilnis de indignatione in illum sua benignè esse aliqn remissuram credimus, cupimus tamen amanter illum uel nro nomine delicti

eius.

eius memoria deposita, atq; condonata omni posteriori poena in pristinam gratiam à Vrã Dilnne uel nunc tandem Clementer recipi, Ostendet in hoc V. Dilnio suo erga nos studio et amori multum tribuere, cui ut mutuæ beneuolentiæ officijs peramanter respondeamus, plurimum sane nobis cordi erit. bene ualeat V. Dilnio Datæ Viennæ XIX July 64.

Maximilianus etc

372° Proregi Neapolis

Hannibal Lotharingus nobilis Senen, nobisq; propter suam in Nos obseruantiam percharus, ut quæ in transigendis quibusdam suis apud V. Dilnem negocijs per procuratores obtinere non potuit, ꝑsens ipse obtineat, Neapolim uenit, cunq; eum nra comendatione dignum semper iudicauerimus, has nunc ad Vrãm Dilnem literas ei dare decreuimus, quibus, et quod Hannibali omnia bona cupimus, et quòd negotia ipsa, quæ tractaturus uenit, iustissima iudicauimus, eum, V. Dilni ita commendamus, ut beneuolentiùs quenq; commendare non possi:

mus

mus, Erit autem nobis gratissimum, si ille expeditis foeliciter Neapoli negocijs, in Germaniam quamprimum rediens, sibi hanc nostram commendationem usui fuisse referet, Id quod ex nr̃a erga se beneuolentia et amore V. Dilp̃tio cum res feret, abundè cognoscet. Valeat. Viennæ XIX Julij Anno M.D.LXVIIII.

373

Summo Pontifici

Beatissime pater. Nouit iampridem ut arbitramur Vr̃a S.tas quemadmodum Venl̃is noster et Sacri Romani Imperij dilectus Joannes Thomas à Spaur Brixinen. Eccl̃iæ Præpositus in coadiutorem eiusdem Eccl̃iæ Ep̃i R.mi in Chr̃o patris Domini Christophori Cardinalis Tridentini amici nostri charissimi, accedente unanimi eiusdem Eccl̃iæ Capituli consensu et approbatione, ascitus sit et designatus. Ei muneri cum is iam à biennio tàm pro ipsius Ep̃i, quàm suorum omnium desiderio ualdè piè et vtiliter præfuerit: Ecclesiæ insuper illius plurimum intersit, eiusmodi uirum p̃stantem, cui res eius curæ sint, habere p̃sentem: Ipso autem Ep̃us supradictus màiorum pro Repub.

Christiana

Christiana officiorum alibi obeundorum causa ut plurimum il:
linc abesse cogatur: Equidem spes nos optima fouet, Vrām Stem,
pro ueteri suo Ecclīæ commodo prouehendi studio, eiusdem Joan:
nis Thomæ in pdicto coadiutoris officio confirmationem porrò
non esse diutius denegaturam, sed, q̄ diximus, incommodorū,
quæ ex dilata longiùs eiusmodi confirmatione consequi pos:
sent, perbenignè ratione habita, accedente psertim Sacæ Cæs.
Mtis Dñi et parentis nri colendiss. tam studiosa commenda:
tione, clementer uel nunc tandem concessurā. Id quod nos quoq;
ab eadem Vrā Sta obsequenter inprimis; et quàm possumus
maximè officiose petimus; Paterni in hoc erga nos amoris
officium singulare ab ipsa Nos accepisse reuerenter agno:
scituri, si nrā hac intercessione Vrām Stem pro uoto nostro
permotam senserimus. Neq; etiam deerimus omni obse:
quentis et magnopere reuerentis filij officio mutuo nrām
hanc gratitudinem quacunq; occasione V. Sti contestarj;
Quam Deus opt. max. incolumem et fortunatam diutis:
simè conseruet. Datum Viennæ die XIX Julij Anno
M.D.LXIIII.

Maximilianus &c

Rhodiorum Magistro

Qui has ad Vrām Dilectionem feret, Florianus Stozla ab Otmut fidelis noster dilectus Vir integer et in re p̄sertim militari egregiè exercitatus, nobisq; proinde haud uulgariter acceptus, uenit, ad nos Christianæ religionis contra infideles manutenendæ pio desiderio, laudatissimo Rhodiorum militum Christianorum Ordini Vestro penitus sese addicturus et coniuncturus: Eum igitur à Vrā Deuᵉ. (tametsi ipsam ad eiusmodi frugi et ingenui animi homines prouehendos alioquin propensam nouimus) uel nostro etiam nomine in Societatem Vrām beneuolè asciri, omnem p̄terea beneuolentiam, fauorem, subsidium, ubicunq; res feret, non difficilè mereri posse, uerum non minus cęteris quos eadē V. Dilᵗⁱᵒ. singularius amat, charum acceptumq; haberi, peramanter, maioremq; in modum cupimus. Et cum insuper graue illi cumprimis sit, et rebus fortunisq; suis maximè dispendiosum patria diutius abesse, adeoq; p̄scriptū illud quinquennij tempus, quod eodem ordine initiati

milites

milites istbic hærere continuum coguntur, ægrè absoluere possit, illud etiam gratiæ speciatim nostra commendatione impetrari ipsi ab eadem Vra Dn. non minus benevolè petimus, utei scilicet, posteaquam Crucem ordinis symbolu susceperit, bona et gratiosa V. Dis. uenia ad suos redire liceat, negotia sua domi nonibil intricata commodius et plenius expedituro. Neq; enim interea de isto suo militari iam annos octodecim contra Jmanis. plerunq; hostem nostrum hæreditarium in Vngaria Jnclytæ nra familiæ Austriacæ strenuè nauato studio, quicq; remittere, sed quacunq; occasione utendum, sese nobis interea obsequentissimè exponere statuit. Eam re si nræ huius intercessioms fructum ille speratum feret, pergratum nobis V. Do. fecerit, suaq; in nos optimæ uoluntatis insigne dederit specimen, quo nos V. Dis. alioquin peramantes, ad declarandam euidentius etiam eiusmodi erga ipsam beneuolentiam nram plurimum permouebit. Bene ualeat eadem Vra Do. Datæ Viennæ xxi Julij Anno M. D. LXIIII.

Literæ passus pro Floriano Stozla ab Otmut Melitam proficiscenti./

375° MAXIMILIANVS &c. Serenis Regibus &c. Cum egregius fidelis nobis dilectus Florianus Stozla ab Otmut Joannitarum ordini, cui sese addixit, militaturus, Melitam Insulam iter susceperit: Nos uerò eum benignè complectamur, ac eiusmodi p̄sertim pios eius conatus omni fauore prouehere cupiamus &c. Eum et Comites eius terra mariq; proficiscentes, Serbus Dilbus et Debus uestris ac uobis, quorum Ditionem attigerint, magnoperè com̄endamus, ac Serbtes Dilbas &c. Datæ Viennæ xxi Julij. Anno &c. M.D.LXIIII./

Maximilianus &c.

376° Ciuitati Posonien̄.

Expositum est nobis controuersiam istam, inter honorabilem Franciscum de Strigonio philosophiæ et Medicinæ D. et Canonicum Posonien̄, ex una, et Andre-

am.

am Fassang ex altera parte ratione incendij in illius etiam dispendium conuersi iampridem uertentem, de qua compo: nenda operam ut nostram adhiberetis, antehac à Sac.ae Cas.ae Mt.is Domino et parente nostro Colendiss. ad uos est scriptum et mandatum, necdum esse compositam, sed no: uis subinde molestijs pauperculum illum hominem Andrea à dicto Francisco Canonico etiamnum agitari, Quandoqui: dem igitur ea nostra semper fuit sententia, ut siquidem reli: qui uestri conciues omnes, qui quidem ex dicto incendio dami aliquid acceperunt, tametsi tenuioris plerique fortunae, trans: actioni inter se dictumque Andream Fassang inita, iampridé acquieuissent, ipsatus etiam Franciscus de Strigonio, utpote minori fortunarum suarum incommodo ista ferens, ad æ: quas cum ijsdem Quibus conditiones condescenderet, neque deplorata fortunae illum opisque inopem hominem Andre: am sæpedictum negligentiae suae plus satis graues eo ex incendio poenas luentem, maiori etiam sumptu et mo: lestia porro aggrauare niteretur. Quare hoc quidem Clementer uobis iniungimus, ut nihil non studij et operae

inter:

intermittatis, quod Franciscum Canonicum eidem nrae Clementi sententiae obsequenter parere. neq; porro Andreae pnominato plus aequo molestum esse procuretis. Egeritis in hoc ex Clementi et expssa nostra uoluntate. Datae Viennae XXI Julij. Anno ꝑ M.D.LXIIII.°

Maximilianus &c.

Oratori Romae

377°

Pro singulari ea, qua Rdum deuotum nostrum dilectu Comitem Philippum Spindola prosequimur benignitate, cupimus eius Deuotioni à S.D. Pont. Max. concessum ne Eius Deuotio in adeundo Episcopatu suo Mondouien: se, quem nuper adeptus est semestre illud tempus, quod Epis, priusq; Episcopatui sese ingerant, post ordines sacros susceptos pscribitur totum morari cogeretur, sed per dispensationem speciatim aliquid eo ex tempore condonari sibi mereretur. Vt igitur sua Stas id negotij nobis singulariter cordi esse, clarius agnoscat, uo-

lumus

lumus sanè abs te eandem Suam S^tem hoc nomine reuerenter atq; obsequenter nostris uerbis compellari atq; rogari, omnem p̄terea operam, fidem et diligentiam tuam adhibere, ut in hoc nostram commendationem supradicto Philippo profuisse sentiamus. Cum enim dictus idem Philippus, tàm ob pietatem uirtutesq; reliquas, quas habet insignes, quàm ob grata et fidelia summopere ab illius familia nobis p̄stita obsequia, singulariter nobis commendatus sit, et adamatus, quicqd hoc nōie eius Deuotioni S. Sanc^tas concesserit, et paternè annuerit, nos ēt æquè ac cætera in nos ipsos collata paternæ eius beneuolentiæ officia, reuerenter cognoscemus. Feceris in hoc ex benigno nostro arbitrio, pristina nostra in te benignitate libenter et cum foenore aliqn̄. recognoscendum. Datæ Viennæ xxiiii Julij Anno ꝯ M. D. LXIIII.°

378° Summo Pontifici

Beatissime Pater .&c Rdus deuotus nobis dilectus Comes Philippus Spinola Episcopatum Mondouiensem Illus Sabaudiæ Ducis consanguinei et amici nri charissimi beneficentia non ita pridem adeptus est, ac prom Sacris etiã ordinibus iamprimum initiatus, Verum ob Sacras V. Stis constitutiones, quibus cautum est, ne Epus, nisi sexto post ordines susceptos mense peracto, Episcopatum accederet, Episcopaliaue munera subeat: ad Episcopatum suum agendum nondum admittitur. Graue autem eius Deuotni et rebus eius ualdè incommodum cum sit, Sex illorum mensium finem hoc in statu expectare supplicibus atq; humillimis admodum pcibus à Vra Ste, uel hoc saltem gratiæ paternæ nobis intercessoribus impetratum sibi cupit, eiusdem V. Stis benigna dispensatione dictum tempus abbreuietur uel anticipetur. Id quod nos quidem maiorem in modum, singulari isto erga nos Vræ Stis amore paterno freti, et obsequenter cumprimis à à Vra Ste petimus: Cum enim dictus Philippus, tàm ob pietatem, uirtutesq; reliquas, quas habet insignes,

quàm

quàm ob grata et fidelia summopere ab illius familia nobis
p̄stita obsequia, singulariter nobis commendatus sit et ada-
matus, quicquid hoc nōie eius Deuo^ni V. S^tas concesserit et
paternè annuerit, nos ēt æquè ac cætera in nos ipsos colla-
ta paternæ beneuolentiæ officia, reuerenter agnoscemus.
omni uerè amantis et obsequentis filij studio, hanc animi
nr̄i gratitudinem quacunq; occasione eidem V^ae S^ti liben-
ter declaraturi. Cui à Deo opt. Max. omnia fortunatissi-
ma cedere ex aīo peroptamus. Dat. Viennæ xxiiii.
Julij. Anno ꝛc. M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

379. Francisco de Turre

Quicquid ad nos literarum à superioris mensis initio ad hunc usq;
diem dedisti, fideliter nobis et suo ordine allatum est. Quibus ex
literis, quo maius tuum in Nos obsequium et fidem accrescere
animaduertimus, eo etiam accumulatiorem in te nostram red-
di benignitatem, ut sentias aliqn̄, libenter curabimus.
Cæterum, quod de Mario Equite, qui in gerenda apud nos Sta-

buli

buli Magistri iuce operam nobis suam tam studiose, tamq; obsequenter defert, significas, nos quidem, tametsi hoc tempore de ministris, qui id officij agant nobis satis est prospectũ, istam tamen fidem tuam omni obsequij genere contestandi curam, illius uerò Marij optimum et fidele obsequia nobis sua dicandi studium, gratum charumq; inprimis habemus, ac proinde ipsum quidem Marium benignitate nostra, si ea deinceps illi proderit, fouendum et amplectendum libenter suscipimus, Tua præclara erga nos officia oĩa constanti et clementi semper memoria conseruaturi. Dat. Viennæ xxv. Julij Anno &c. M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

Duci Sabaudiæ renunciatur mors
Ferdinandi Imperatoris, feliciss. me:

3800

LXXI.

Pro singulari nostra Cæsarea beneuolentia, qua Dil.nem Vr̃am magnopere complectimur, nequaq; ꝑtermittendum duximus: Posteaquam Deo opt: max.o Visum fuit, Sac.am Cæsaream M.tem ꝑclarissimæ memoriæ Dominum et parentem nostrum obseruandissimum, hesterna die sub

Vesperam

Vesperam ex hac humana et fragili vita in perpetuam glo:
riam euocare, quin Dilg.nam Vram de hoc acerbissimo casu et
maximo moerore nostro quamprimum certiorem reddere:
mus, quae quidem Dilg.tio Vra etsi amisit Imperatorem, qui
erga Dilg.nam Vram animo fuit propensissimo, sicut et nos oleba:
ti sumus Patre longe optimo et amantissimo, quem nobis ere:
ptum esse merito dolemus ac lugemus, dubitare tamen
non debet Dilg.tio Vra, quin et Nos ipsam eadem gratia
et benignitate quoquo loco atq; tempore prosecuturi si:
mus, quam Dilg.o Vra in Mg.ta sua Caesarea semper fu:
it experta. Id quod Dilg.ni Vri perquam benigne
pollicemur. Dat. Viennae XXVI July A.o 1564.

381. Assignatio sceleratarum per:
sonarum ad triremes condemna:
tarum

Maximilianus &c. Notum facimus Vniuersis, ad
quorum manus hae literae peruenerint. Quoniam subscri:
ptos hic homines sceleratos et maleficos extremum sup:

plicium

plicium meritos, atq; ad id maiori etiam ex parte iam condemnatos, singulari ex gratia vita quidem donauimus, uerum, ut scelerum tamen suorum aliquas etiam poenas luerent, partim quoad superuixerint, partim uero in certos annos, pro cuiusq; delicti ratione, ad triremes ducendis remis addiximus, eo modo, quo sequitur.

Ob scelerum suorum grauitatem totos uitæ suæ dies, ad triremes condemnati.

Thomas Reidl ex Helmstett.

Vuolfgangus Stettner ex Vuending Bauariæ.

Panthaleon Sutor. Quatuor Rasciani plagiarij & p̄dones.

Cum quaterna nefandissima latrocinia comiserit, uolumus diu nocteq; cæteris multò etiam atrocius in triremibus affligi.

Ad statum annorum numerum triremibus agendis addicti.

Joannes Sonleitner ad sexennium.

Jacobus Groppel ex Schärding ad sexenniū.

Sebastianus Senfftle ad quinquennium.
Georgius Mülpurger ad quinquennium.
Vuolffgangus Maurer ex Zwettl ad quadriennium.
Stephanus Stainfelder ex Vueithofen ad quadriennium.
Vlricus Ziegler ex Bohemiæ Corona totidem.
Laurentius Glaser ex Crembs totidem.
Joannes Vogler totidem.
Joannes Geier Ficini subditus totidem.
+ Vlricus Kurz Faber cultrarius in Styria ad biennium
+ Dionisius Premer ex S. Aswaldo ad triennium.
Georgius Teuffel ex Parnpach propè Norimbergam, ad quadriennium.
Ex Badensi Austriæ Ciuitate propter commissum furtum totidem.

Sanè seriò et omniò Nos uelle, iam enumeratos sceleratos homines, quanto præscripsimus tempore et modo, singulos puniri, neq; illorum quenq; breuiùs aut diutiùs in triremibus detineri. Quod ita esse ma-

nu

nu nostra, hiscce subscripta, et Cæsareo nostro sigil:
lo impresso attestamur. Datæ Viennæ xxviii. Julij
Anno ꝛc. M.D.xxiiii.

Literæ passus pro sceleratis
hominibus ad triremes con:
demnatis.

MAXIMILIANVS ꝛc. Vniuersis ac singulis p
Et quia presentium exhibitori presentes hos captiuos, quos
quidem capitis reos declaratos, extremo tamen supplicio
mera ex gra exemptos, partim perpetuo, partim
certos in annos, pro cuiusq; delictorum atrocitate, ad
triremes condemnauimus, Genuam recta auehendos
et deducendos demandauimus: Sane uolumus omni:
no atq; Clementer petimus, ut prefatum conductorem,
una cum dictis Captiuis per ditionu, Jurisdictionum,
et prouinciarum uestrarum loca tam mari quam
terra proficiscentem, non libere solum passim pro:
gredi permittatis: sed et, si id æquo soluto pcio
expetierit, hospitia bene munita, et uigilibus cu:

stodita

stodita destinetis, omnem p̃terea tam̀ iumentis quã curribus cæterisq; ad profectionem necessarijs suppeditandis operam et subsidium feratis et p̃stetis. Et si porro quis ex uobis eiusmodi alios mortis reos homines in carceribus suis detineat, eos etiam, p̃scripto tamen prius singulis illorũ certo tempore, in quod usq; triremibus addictos ẽe oporteat, sæpedicto Exhibitori unà cum cæteris secum abducendis tradi et permitti benignè cupimus: Nisi fortè tam nefanda sint, tamq; enormia illorũ crimina, ut grauiori etiam supplicio, quàm simplici ad mortem condemnatione digna reperiantur: Quo casu Iuris æquitatem eiusmodi triremium poenæ luitione neutiq̃ excludi, sed iusta executioni demandari uolumꝰ.

In eo uos mandato n̄ro quod etiam omnimodo fieri iubemus omnino parueritis, et ex arbitrio et uoluntate n̄ra planè egeritis. Dat. Viennæ xxviii. Julij. Anno M. D. LXIIII.

Maximilianus oc.

383 Francisco Baroni de Turre

Quid tecum Magnifici fideles nobis dilecti Galeatius et Aurelius Fregosij interea de negotio, quod nosti, contulerint, quidq; tu ipsis responderis, ex tuis ad nos xxiiii Junij abhinc proximi scriptis Clementer accepimus, simul et ex illorum literis partim tibi partim nobis inscriptis, rei successum, ut tu erat, abunde cognouimus. Quæ omnia cum tua quidem pclaram erga nos fidem et in rebus nris integritatem, de qua te iampridem plurimum complectimur, illorum uero Fregosiorum in Nos studium summum et eorum, quæ ad authoritatem dignitatemq; nostram amplificandam attinere ipsis uisa sunt, amplectendi desiderium egregie nobis comprobent: sane hos quidem in nostræ benignitatis sinum

Semel

semel susceptos porro etiam, q̃cunq̃ tandem eos iu=
uandi inciderit occisio, fouere et amare nunq̃ desine=
mus. Cæterum quo minus in negotio, quicq̃ dem=
ceps eiusmodi, quæ illi scribunt, suscipi queant,
in causa est, quòd Genuenses paulo anteq̃ uita de=
cederet, à Sacratissimæ me: Diuo Ferdinando Impe=
ratore Dño et parente nro amantissimo, in gratiã
pristinam recepti sunt: adeoq̃ res non amplius sit
integra: Quod nunc quidem est quantum respon=
deamus ad tuas et illorum literas, quibus quæ tibi
nunc scribimus, per occasionem Fregosijs tu como da
ratione communicabis. Interim nræ te clementiæ
commendatum plurimum esse semper existimato.
Datæ Viennæ xxviiii Julij Anno 2d. 1564.

Maximilianus &c.

384 Gubernatori Mediolani

Doctus fidelis nobis dilectus Ottobonus Fossa U
Doctor, Nobilis Cremonensis nostrorum quorundam
ministrorum, quorum fides apud nos maximi fit, com:
mendatione singulari, tam ob eruditionem, quam
ingenuum Reip. commodis operam suam impenden:
di animum, multum nobis charus est atq; acceptus.
Ei nostra se intercessione apud T. Dil.mum tantis per
iuuari expetenti, ut in Senatorum Mediolanensium
numerum T. Dil.is authoritate coopturetur: nos sa:
ne eo libentius accedimus, quo et T. Dil.is in nos stu:
dium et amor est notior, animusq; ad homines ope
non indignos prouehendos propensior. Petimus itaq;
beneuole admodum à T. Dil.e ut, quæ prima inci:
det, occasione ius suum Senatores Mediolani Catho:
licæ Regiæ M.ti denominandi, (dictum quoq; Otto:
bonum siquidem idoneus erit, de quo nos tu non diffi:
dimus) inter cæteros à se denominandos comphen:
sum uelit, Erit hoc optima T. Dil.is erga nos uo:

luntatis

Maximilianus &c.

Prospero Comiti ab Archo.

LXXIV. 385

Innuit nobis aliquatenus Deuotus nobis dilectus Rdus in Christo pater Epus Pharensis Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncius posse fieri, ut sua Stus suorum aliquem, qui eius nomine de Diui Imperatoris Ferdinandi Dni et parentis nri amantissimi obitu pro eius in Nos solito et paterno amore et beneuolentia nobis condoleat huc ad nos mittat, Qua de re te quidē diligenter, quid sit futurum aduertere uolumus, ut si Cardinalium aliquis ad id officij apud nos obeundi deligetur, omnibus modis, et ratione qua potes opportunissima et modestissima, ne id fiat, enitaris, accersita etiam in hoc ope et consilio Rmi in Chro Patris Cardinalis Moroni amici nri charissimi, qui quamobrem id prohiberi cupiamus, non ignorat, ne scilicet suspitio illa, quæ iampridem ais Principū quorūndam Imperij Confessionis Augustanæ insedit, de occulta aliqua foederis inter nos et S. D. Pont. Max. ineundi in ipsorum exitium tractatione, refricetur: atq; adeo incommodi

aliquid